



**C**hristopherus honestis parentibus natus, & optime educatus est. Is cum foelici ingenio esset praeditus, a teneris annis operam literis dedit, & in artibus atque linguis plurimum profecit. Postea quoque sese ad exterarum Academiarum contulit, & Iurisprudentiae diligenter incubuit. Itaque factum ut Legum Doctor crearetur. Erat is rebus agendis aptissimus, & magna eloquentia praeditus. Id cum Ioachimus Elector Brandenburgicus cognouisset, eum liberali stipendio ad se uocauit, & inter suae curiae consiliarios admisit. Postea huic res magnas in Imperij comitijs peragendas commisit, & Anno post natiuitatem Domini

millesimo quingentesimo quinquagesimo suo nomine legatum ad Tridentinum Concilium pergere iussit. In eo Strassius principis sui praecellam erga synodum uoluntatem prolixè commemorauit. cuius rei causa a patribus magna & principi & Strassio gratias actae. Hisce officijs Christopherus effecit, ut Germanis atque Italis innotuerit, & sibi magnum nomen compararit.

Iohan. Sleid. libro uigesimo tertio,